

aliis urbanitatis ritibus, maxime sicubi à nostris discreparint. Nihil apud Sinas urbanitatis, aut cultus habet, caput aperire; sed neq; motu pedum, & longe minus amplexu, aut manus osculo, vel cujuslibet alterius rei, quam offerunt, venerationem profitentur. Maxime vulgaris inter eos urbanitatis ritus hoc modo peragitur. In superioris togæ manicas, quas gestant laxissimas, collectæ manus (quod Sinæ faciunt, nisi quid operis tractent, aut flabello ventum concilient) ambæ uniuntur, & una cum manicis primum in altum modeste eriguntur, inde deprimuntur, altero ex adverso alterius consistente, & hanc syllabam geminante, *zin, zin*; cujus vocis significatio nulla est, nisi urbanitatis ritus; & urbanitatis interjectio nostro more posset appellari.

Cum alter ab altero officiose visitatur, & etiam sæpe cum per vi-

COS